

Veni, Creator Spiritus,
 Mentis tuorum visita,
 Imple superna gratia,
 Quæ tu creasti pectora.
 Qui diceris Paracletus,
 Altissimi donum Dei,
 Fons vivus, ignis, caritas,
 Et spiritalis unctio.
 Tu septiformis munere,
 Digitus paternæ dexteræ,
 Tu rite promissum Patris,
 Sermone ditans guttura.
 Accende lumen sensibus,
 Infunde amorem cordibus,
 Infirma nostri corporis
 Virtute firmans perpeti.
 Hostem repellas longius,
 Pacemque dones protinus;
 Ductore sic te prævio,
 Vitemus omne noxium.
 Per te sciamus, da Patrem,
 Noscamus atque Filium,
 Teque utriusque Spiritum
 Credamus omni tempore.
 Deo Patri sit gloria
 Et Filio, qui a mortuis,
 Surrexit, ac Paracleto,
 In sæculorum sæcula. Amen.

Doxologia communis

Deo Patri sit Gloria.
 Ejusque soli Filio,
 Cum Spiritu Paraclito,
 Nunc et per omne sæculum.

Finito primo versu, Pontifex surgit, ac similiter omnes alii cum Pontifice surgunt. Expleto hymno, omnes sedent in silentio, et Pontifex, sedens, alloquitur Synodum.

Post allocutionem, sermoneque habito, si fieri debet, Promotores Synodi his verbis, requirunt ut legatur Decretum de *Aperienda Synodo*: